



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



DISPUTATIO
JURIDICA INAUGURALIS
DE
MODO CONSTITUENDÆ CIVITATIS
MAXIME NATURALI ET OMNIBUS FOR-
MIS RERUM PUBL. COMMUNI.

^{Quam,}
ANNUENTE DÉO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. FRANCISCÍ FABRICII,
SS THEOL. DOCT. HUJUSQUE IN ACAD. LUGD.
BAT. PROFESSORIS, UT ET ECCLESIAE IBIDEM
PASTORIS.
NEC NON

Amplissimi SENATUS Academicī Consensu, & Nobilissimæ Facul-
tatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in Utroque Jure Honoribus, & Privilegiis rite
ac legitimè consequendis,
Eruditorum examini submitit

CHRISTOPHORUS NESSINK, *Campis Transalanus.*
Ad diem 10. Aprilis 1716. hora locoque solitus.




LUGDUNI BATAVORUM

apud JOHANNEM COSTER.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS.
DE
MODO CONSTITUENDÆ CIVITATIS
MAXIME NATURALI ET OMNIBUS FOR-
MIS RERUM PUBL. COMMUNI.

P R O E M I U M.

Vanquam de prima civitatum ori-
gine nulla extent literarum monu-
menta, & omnium fere civitatum
origines incertæ sunt, & plerum-
que penitus ignorentur, omnes ta-
men sua habuisse principia, ne Car-
neades quidem negaret: quominus
tamen modum constituendi ratioci-
nando investigemus nihil est quod
vetat; eo magis cum civilis tranquillitatis quam ma-
xime interfit, hujus rei fundamenta recte poni. De pri-
ma omnium civitatis origine varie Doctorum opiniones
A 2 possunt

P R O E M I U M.

possunt videri apud Tesmarum in Grot. de Jure B. & P. l. 1. c. 1. §. 1.

Quare cum inveterata & in omnibus fere Academis recepta consuetudo mihi ad rite & legitime consequendum gradum doctoratus necessitatem quodammodo imponit, ut quandam e jure materiam tractem, suscepisti pro tenuitate & fragilitate juvenilis mei ingenii difficillimum hoc caput de modo constituendae civitatis maxime naturali, & omnibus formis rerum-publicarum commuui.

At vero tum propter materie difficultatem, tum quia Themidis sacra in hac aetate vix primoribus mihi contigerat attingere labris me imparem tanto perficiendo operi sentiens dihæsi recordans illud monitum Horatii in lib. de Arte Poët. Vers. 38.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, & quam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent

Quid valeant humeri. — — —

Verum & scribendi mihi necessitas, & materiae dignitas atque elegancia facile superabant omnes, quæ se se mihi offerebant, molestias.

Nec in praesentia suscipio, ut ex dignitate argumentum hocce tractem, omnibus tamen enitar viribus, ut quantum fieri poterit, omnia clare atque justo ordine exequar. Et si forte tuae L. H. expectationi non omni ex parte satisfecerim, non ideo mihi desperandum, cum in magnis voluisse sat sit, si vero alicubi quid scripsero parum accurate aut minus recte, in partes meas voco eundem Horat. eod. lib. Versu 351.

— — — Non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. — —

Caput

Caput Primum.

§. 1. **C**ivitas, prout hoc vocabulum hic sumimus, missis va-
criis hujus vocis significationibus atque definitionibus,
recte definitur a viro incomparabili Hugone Grotio in doctissi-
mo illo & omni eruditioris genere referto opere, de jure Belli
ac Pacis l. 1. C. 1. §. 14. quod sit *cætus perfectus liberorum ho-*
minum communis juris fraendi & communis utilitatis gratia so-
cietatus.

§. 2. Recte civitas dicitur *cætus perfectus*, at non eo sensu,
quasi ipsi nihil deesset, nam nulla tam valida atque tam ampla
est civitas, quæ non aliquando aliarum extra se ope indigeat,
sed quia numero civium & facultatibus plerumque ad defensio-
nem sui, communemque utilitatem promovendam nec non ad
depellenda ea pericula atque mala, quæ in statu naturali homini
ab homine imminebant, satis est instructa atque valida pro-
pter conjunctionem tam virium quam voluntatum.

Et secundo in oppositione ad societas politicas minores ;
quales sunt V. G. societas maritalis, herilis, vicus, pagus &c.
ex quibus societatibus minoribus, quæ civitatibus haud dubie
priores fuerunt, ut late contra Aristotelem defendit Joh. Fred.
Hornius in sua Architeconica l. 1. C. 4. §. 7. proxime perfecta
civitas constituitur : Nam illud omne, ob quod reliquæ socie-
tates instituuntur, hæc una in se habere potest : quod si vero
simplices istæ societas, aliquam in se perfectionem habent,
quanto magis civitas ex illis composita maximam perfectionem
continebit, nam pluribus magis hæc, quam illæ, suam potest
communicare perfectionem, quod plures ibi reperiantur socii,
atque in reliquis societatibus.

§. 3. Omnibus tamen societatibus minoribus tam simplicibus
quam compositis civitas ad tempus carere potest : quod observa-
mus in reipubl. Rom. incunabulis, ubi assutus jam dudum in
regem Romulus leges, quibus contineretur agrestis multitudo
promulgaverat, ordinaverat sacra & alia majestatis axiomata exer-
cuerat, quæ omnia rempubl. constitutam arguunt, in ea tamen

nullæ erant societates minores, ante raptum Sabinarum virginum: perfecta tamen respubl. erat, quæ civitatem ut subiectum suum supposebat, sed tantum quoad formam, non vero quoad materiam, nam durare ultra unius hominis ætatem probabiliter non potuisset; & sic civitas quidem erat, non vero ei bene erat.

§. 4. Dicitur civitas coetus perfectus *liberorum hominum*, ut ab hac communione omnimodo excludantur, (Primo) servi, quoniam servilis conditio, non recipit terminos habiles civilis societatis Ulric Huber de jure civit. I. i. C. 8. §. 7.

Secundo: ut excludantur matres & filii familias quoniam jam ante civitates conditas patris fam. imperio erant subiecti, unde etiam tantum sunt civitatis secundaria membra; & sic sæpe sexus discrimen, quamvis non sit ex impositione, sed physicum quid, tamen in vita communi inter homines aliquid moralitatis involvit Puff. de jure N. & G. I. i. C. i. §. 12. *in fine*.

Caput Secundum.

§. 1. Jam e re nostra videtur paulo pressius perpendisse causam, qua primi illi patres familias segregem cum familia vitam agentes moti voluerunt tam insignem libertatis naturalis facere jacturam, coëndo sc. in civitatem.

§. 2. Hanc vero causam nos minime petemus a quorundam veterum a purioribus sacris remotorum nugis seu figmentis; quorum alii temere & casu fortuito id factum esse contendebant.

Alii, ut Cic. I. i. C. 8. de oratore, eloquentiæ vi, dispersos in agris collectos, & ferarum ritu sylvis ac montibus inerrantes, compositos esse homines docebant.

Alii inter quos & Horat. de Arte Poët. V. 391. hunc honorem & nomen divinis vatibus ut vi musices atque poësos effectum, affinxerunt. Sed horum nugæ seriam refutationem non merentur, dum, singuli suæ disciplinæ principatum assertere voluntates fictitia aut similia veris commiscere solent.

§. 3.

S. 3. Omnia circa causam, ob quam primi isti mortales in civitatem coiverunt, opiniones hic enarrare atque refutare nimis longum foret, nec instituti nostri ratio permittit.

Verissima mihi semper visa fuit sententia existimantium patres istos familias naturalis status pertinetos (utpote qui maximis erat expositus incommodis atque periculis, nam sola reverentia legis naturalis, quæ quidem omnes injurias prohibet, efficere amplius non potuit, ut quidquid est mortalium in naturali libertate securi invicem viverent, cum mortalium perversitas jam cum obtineret gradum, ut quisque dictata rationis spernens tantum valere vellet, quantum viribus posset) fuisse instigatos ad civilis societatis vinculum subeundum ductu rectæ rationis, & a Deo primitus conditæ, non imperfectæ seu corruptæ, ut eo commodius absque ullius rei indigentia & a metu, a pravitate feritateque hominum securi ætatem agere possent.

S. 4. At vero in homine sunt acerrimi libertatis stimuli & summo desiderio fertur quisque ad eam conservandam vel amissam recuperandam, ita ut non voluntate sed necessitate & contra animi desiderium in civilem societatem coalusse videantur; tamen quoniam ad vitia quam advirtutes post lapsum hominis natura proclivior est, quæ jam eum sæpiissime impellit ad quævis detestanda committenda facinora, nisi metu superioris deterretur ab eorum executione; hinc homines in statu naturali sibi sequales conditione & imperio, viribus autem sæpe impares propter tot incommoda atque pericula, quæ alteri ab altero quotidie imminebant duxisse videntur recta ratione duce propriæ saluti & conservationi consulentes, satis esse renunciando pro aliqua parte libertati naturali, semet ipsos ac fortunas ac possessiones in securitatem asserere, quam diutius insidiis atque pravis facinorosorum hominum machinationibus esse expositos.

S. 5. Quæ renunciatio libertatis naturalis, quamvis circumscribat agendi facultatem, non tamen mutat conditionem hominis omnibus inherentem, nec ipsi libertatem personalem adimit; nam obedientia, quam ultiro summo imperanti & ejus iusribus præstamus, ut omnibus libertas sit incolunis, non pugnat cum libertate, sed potius eam tuetur atque auget, quamvis coercet atque intra cancellos rationis actiones nostras cohipeat,

ne

ne licentius evagemur: ut recte dixit eloquentiae Romanæ parentis Cicero pro Cluent.

Legum idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus:
Apprime huc facit illud Claudiani instilic.

*Fallitur egregio quisquis sub Principe credit
Servitium, nusquam libertas gratior extat.*

§. 6. Ex dictis in præcedentibus ergo satis patet nec metu nec indigentia sola, sed natura appetente, indigentia ac metu invitante, ac justitia ordinante homines fuisse instigatos ad subeundum societatis civilis vinculum, & ad tam insignem libertatis naturalis partem remittendam: quod jam olim vidit Cicero Off. 2. dum ait: *Hanc ob causam maxime, ut sua tenerentur reipublicæ civitatesque constitutæ sunt; Nam et si duce natura cogebantur homines, tamen spe custodiae rerum suarum urbium præsidia querabant.*

Caput Tertium.

§. 1. **V**idimus præcedenti capite causam, jam ordo nos perducit, ut investigemus modum, quo illi, qui in his terris neminis imperio erant obnoxii in civitatem coauerunt; quod haud dubie per pacta effectum fuit; nam licet quis eodem loco versetur si tamen in futuram civitatem pacto non consenserit, ejus quoque membrum non erit, neque per reliquorum consennum, quamquam plures isti sint, adstringi potest, ut isti cætui se jungat, sed in libertate sua persistit, ipisque de sua salute proprio iudicio statuendi jus manet.

§. 2. Cujus pacti formulas haud difficulter divinari poterimus si paulum statum hominum, adhuc in primæva libertate extra omne societatis civilis vinculum positorum animo concipiamus, in quo statu positi facile videbant se suaque amplius tutæ esse non posse, nec in isto statu se secure vitam suam degere posse, quare securitatem sibi quanta quidem in eorum conditio nem cadebat parare studentes lumine rationis facile intellexerunt contra iumentaria homini ab hominè pericula nullum commodi us

dius atque melius remedium peti posse , quam ab ipso homine junctis invicem viribus mutuaque implicata salute , ut pericula communi conspiratione propulsare poscent . Confer Hobbes de cive C. 6.

§. 3. Hinc satis manifestum est duorum vel trium consociationem talem securitatem praestare non posse , quia adversariis duorum vel trium numero additio ad certam & indubitatam victoriam sufficeret , atque ad alios aggrediendum fiduciam daret , successum ac impunitatem sponderet .

Igitur ad securitatem istam obtinendam requiritur , ut numerus in mutuam opem conspirantium , tantus sit , ut paucorum ad hostes accessio ipsis statim victoriam non extra ordinem periculi aleam ponat : Hinc Plato de ll. lib. 5. tantum civium numerum in civitatem requirit , ut *injuriantes vicinos possit depellere , & iisdem injuriam patientibus auxilia ferre* .

§. 4. Hinc facile potest colligi hoc primo pacto cautum fuisse de cohabitatione & de coniunctione tum animorum tum virium ; in hoc tamen pacto singuli si non expresse tacite saltem licentiam remigerandi iterum sibi reservasse presumendi sunt , imprimis si forma regiminis adhuc constituenda ipsis non arriserit .

Et quoniam post primum illud pactum , jam statim aliquando videntur vivere in statu democratico , (vide Houtuyu Polit. Gen. §. 100. N. 9.) licet adhuc imperfecto , ideo statim etiam omnium , qui hoc pacto convenerunt voluntates jam esse quasi unius voluntatem , scilicet respectu earum rerum , quae faciunt ad finem istius consociationis , non aequo respectu aliarum rerum , nam neque cives sive inter se , sive ad imperantem spectentur omnibus modis sive partibus coherent , & sociati sunt , sed tantum quatenus ad finem societatis obtinendum expedit ; non enim ulterius se voluisse obligare probabile est . Hert. in disl. de modo constit. civitatis §. 1. N. 6.

§. 5. Imo civili societate ad tuendam tranquillitatem instituta , statim civitati jus quoddam majus in nos & nostra bona nascitur Grot. de jure B. & P. I. I. C. 4. §. 2. Nam homo quamprimum se in societatem confert civilem jacturam bona ex parte facit , libertatis illius , quam a natura habet ; itaque multa facere debet , quae positus extra civitatem minime fecisset , contraque omitte-

re, quae cordi ipsi maxime forent; hoc quippe unum intueretur civitas, ut bene sibi sit, adeoque huc omnes cogitationes & ceteras flecti vult ac dirigi, nullo habito respectu, an quid ius naturae alicui permittat, si id inutile & perniciosum sit publico; sic ut plerique actiones ad bonum societatis referendas sint, quod sepo & bono singulorum videatur discrepare.

Caput Quartum.

§. 1. **M**emorati tamen pacti foetus utpote rudis adhuc indigens; quoniam unio voluntatum hoc sane modo fieri nequit, ut naturaliter omnium voluntates in unum confundantur, & et naturalis voluntates discrepantia & indiversa inclinatio ullo modo tollatur plene & in perpetuam harmoniam combinatur, nisi hoc pactum exigeretur a decreto, quo forma aliqua certa sumvit imperii, pacti prioris vindicis, constituitur.

§. 2. Illa enī naturalis voluntatum discrepantia sepiissime causa est, ut publica pax & tranquillitas, sine qua nulla socie-
ta humana diu stare potest, perturbetur, quia pace & tranquillitate publica sublata societas distrahitur mutuis discordiis, & dissoluta iterum fit multitudo: hinc omnino necesse habuerunt homines in civilem societatem coalescentes ad pacem & tranquillitatem, quae ista naturali voluntatum discrepantia sepe pertur-
batur, obtinendata renunciare maximam libertatis naturalis parti, quod fecerunt subtiliendo se securiō imperio, & voluntati ejus quem civitati præfecerunt, & cui curam demandarunt, ut provideret, ne quid publica tranquillitas detrimenti caperet, ad obtinendum consociationis finem.

§. 3. Post quam submissionem demum omnium voluntates ita unirentur, si singuli suam voluntatem summo imperio ita sub-
jicerunt, ut pro omnium voluntate ac actione vehint agnoscere neque ab aliis haberi, quod ille voluerit aut gesserit circa ea, quae ad unionis ejus naturam, ut talēm, spectant, & fini ejusdem congruunt: Hobbes de cive C. 6. §. 6. Hinc est, quod, quan-
do

do multitudo quid voluerit, tot censemur voluntates, & actiones extare, quod numero personæ physicæ seu individua humana ibi numerantur: iis vero, qui in civitatem coäluerunt, ut personæ morali compositæ, una tantum adscribitur voluntas atque actio.

§. 4. Hoc decretum priori pacto illustriss. &c in omnibus rerum publicarum formis magis conspicuum est, quoniam hoc haud dubie praecessit semper magna consultatio, quanam regiminis forma saluti & securitati sua consultum optime fore, quamque ad ingenia sua maxime accommodatam sperant.

Caput Quintum.

§. 1. Decreto, de quo præcedente capite diximus, interposito, alio adhuc pacto opus erat, quo summa potestas alicui deferatur, nam illud decretum formam tantum quandam regiminis, elit, nam si tuhç V. G. electus fuerit status mox narchicus, & de persona cui ea conferanda esset constaret, nec certum erat istum summam potestatem amplexurum; distincta utique inter se sunt conspirare de imperio in Gajum V. G. conferendo, & imperium Gajo deferre fide data acceptaque,

§. 2. Si vero status fuerit electus democraticus non ita dilucit de secundum hocce pactum apparet, quippe idem, diverso tamen respectu, suar imperantes & parentes: hinc non admodum mala est eorum opinio, qui existimant inutile fore pactum inter cives subditos, & populum imperantem, quia eo ipso dum quis in formam democraticam consentit suam statim quoque voluntatem videtur voluntati majoris partis subjecisse, & perinde est, utrum expresse hoc fecerit an tacite, nam naturali ratione si inter associatos dissidium quoddam oritur, plurimum, nisi expresse omnipium consensus requiritur, vincit numerus, etiam paucorum sententia melior erat, cum vota non ponderentur sed tantum numerentur; quia argumentorum in deliberationem venientium difficultas, & humanarum mentium varietas, inficiare judicium non raro contumata, eadem in re eadem place-

re non permittant Hert. in disputat. de modo const. Civitatis
sect. I. §. 4.

§. 3. Nec quicquam tamen obstat, quominus statuamus in
democratia illud pactum etiam intervenisse inter singulos cives
& totius populi concilium, nam etiam in statu populari singu-
los cives & consilium; quod e toto constat populo, penes quod
summum est imperium non nudo dumtaxat respectu differunt;
sed revera sunt diversæ personæ (et si diversi generis) quibus
distincta voluntas, distinctæ actiones, & jura competunt; quod
enim singuli volunt, id non statim vult populus, & quod sin-
guli cives agunt non statim potest haberi pro actione populi, &
vice versa; nam singuli in statu democratico summam rerum
non habent, aut aliquam ejus partem, sed totus populus con-
gregatus habet; aliud quippe est habere partem imperii, aliud
tantum habere jus ferendi suffragium in concilio, penes quod
summum imperium est.

§. 4. Nec in democratia hocce pactum suis est caritura effecti-
bus, nam si ante illud pactum singulorum cum omnibus, quo
demum singuli omnes sibi agnoverunt superiores, interpositum,
quisquam quid fecerit directo contra utilitatem prioris pacti,
ille tamen jure ab aliis omnibus sociis puniri non potest, cum
ipsi omnes nondum erant superiores, & poena proprie dicta tan-
tum potest exigi a superiori ut clarissime ostendit, Philosophiae
moralis Stator atque Interpres felicissimus de me studiisque meis
optime meritus Phil. Reinh. Vitriarius Inst. Juris N. & G. l. 2.
C. 20. Ques. 7. Puff. de Jure N. & G. l. 8. C. 5. §. 3. Ziegler. ad
Grot. de Jure B. & P. l. 2. C. 20. §. 3. Potest tamen talis, ut
societate indignus jure belli ab ista communione expelli, non
per modum poenæ.

§. 5. Quamvis vero in democratia illud secundum pactum tam
dilucide non appareat, nec in ea illud tam necessarium fuerit,
imprimis si ipsum decretum, quo de retinenda democratica re-
giminis forma convenerunt, accipiamus simul per modum pacti
singulorum cum singulis, tamen in aliis rerum publicarum for-
mis illud omnino intervenisse & quam maxime necessarium fuisse
minime est dubitandum, atque in iis multo dilucidius cerni-
tur: nam in iis est quasi mutua promissio circa praestanda ea que
antea

antea erant indebita ; dum enim principi se subjiciunt subditi obsequium ipsi promittunt, defensionem stipulantur, princeps dum ipsos, ut subditos, recipit defensionem promittit, obsequium ab ipsis stipulatur ; nam nuda electio citra electionis acceptationem electo nullum jus dat in eligentes ; hinc ex electionis natura fas-tis intelligitur, eos, qui alteri ultro in se potestatem contule-runt velle, ut hicce in ejus exercitio rendat ad finem isti pot-e-stati præfixum, electus vero semper præsumitur id ea lege suscepisse, atque promisisse, per se eligentes sine suo non exci-furos.

Itaque qui in alium imperium conferunt, videntur ipsi etiam promisisse, ea quæ natura subjectionis requiruntur, electus con-tra videtur semper promisisse se procuratum ea propter quæ civilia imperia constituuntur, quod quid aliud est quam pactum in-jure.

Caput Sextum.

§. 1. **A**proposita in præcedentibus de modo constituendæ ci-vitatis doctrina variis Doctores in diversum abeunt.

Omnium longissime a nostra sententia recedit Thom. Hobbes (quare ejus opinionem solam refutare conabimur, aliorum minus a probabilitate recedentium sententias brevitatis studio, omitto) qui in generatione civitatis unum tantum agnoscit pactum singulorum sc. : cum singulis; cuius formulam sic proponit: *ego jus meum transfero in hunc, ut tu tuum transferas in eundem de Cive Cap. 6. §. ult.* Quo pacto jus, quod unusquisque habebat utendi viribus suis ad proprium beneficium totum translatum est in aliquem hominem vel concilium ad beneficium commune: sunt ipsissima ejus verba *all. loco.*

§. 2. Passim ex Leviathano suo satis clare colligi potest cau-sa, quare Hobbes inter regem optimatesve & subditos nullum pactum intercedere tam anxie negare conatus fuerit; scilicet ut summos imperantes magis tutos redderet a seditionis istis homini-bus, qui regiam potestatem non tantum, (ut illi ajunt,) in

ordinem redigere, sed potius subditis subjicere (contra quos egredie disputat Hertius in diss. an summorum semper sit penes populum) imo penitus extinguere conabantur.

Nam, ut Hobbes putat illæ mutuæ promissiones imperantum & subditorum magnum turbulentis civibus rebellionis prætextum dant, dum sic quævis regis facta sibi displicentia in crimine violatæ fidei trahentes sub prætextu non servatæ fidei a parte regis semper se quoque ab obsequio liberare possent & sic Hobbes, dum sibi proposuerat omnibus regibus, vere talibus, absolutam & illimitatam potestatem adstruere, omnino putabat exterminandum hocce pactum præcipuum, ut ipsi videbatur, limitandæ potestatis instrumentum.

§. 3. At vero quamvis regiam potestatem sacro sanctam & ab importunorum hominum vellicationibus tutam præstari, generis humani quam maxime intersit, tamen non ideo necessarium est abnegare hocce pactum rationi quammaxime conveniens, variis S. Scripturæ locis memoratum 1 Sam. X: 24. XI: 14. 1 Chron. X: 3. XXIX: 1. (ubi disserre fæderis inter regem & subditos mentio fit) & ipsæ experientia quotidiana comprobatum; imo & in plerisque civitatibus hodie etiam jurisjurandi religionem tam a parte regis, quam a parte subditorum, intervenire videmus.

§. 4. Nec hocce pactum illa incommoda, quæ Hobbesio ante oculos fuisse videntur, statim sequuntur.

Nam licet id omnia quidem habeant pacta, ut ad certi præstationem ab utraque parte necessitatem inferant, maxima tamen est differentia inter pactum æquale, quo quali licet interposito alter alteri boni superior, sed quo certæ tantum definitæ sunt præstationes invicem exhibendæ; & pactum inæquale, quod subjectionem producit, nam in hoc penes eum, qui potestatem in alterum accepit, est definire, quid ab altero præstari debeat, simulque in eum hoc pacto facultas translata est retractantem ad ea compellendi, qualis tamen facultas haud quicquam reciproce illi in hunc competit.

§. 5. Nec quisquam potuit sibi reservasse facultatem declinandi, quod sibi a summo imperante faciendum injungitur, nec ulli incumbit examinare num utile sit societati; quod imperatur, quasi

quasi facere vel non facere, quod imperatum est, a sua voluntate dependeret; quippe siquidam hanc facultatem sibi reservassent, summa potestas non penes imperantem sed penes populum esset, atque ita judicandi de utilitate mandatorum, quae sibi exequenda imponuntur, jus declinandi vel non exequendi ea, prout ipse arbitratus fuerit communis saluti consultum fore; vel non habebit quisvis e populo, vel quisvis civis idem statuet sibi jus competere, atque ita corrueat tota civitatis fabrica & ad perditionem relabetur confusione statum.

Nec quisquam de injuria sibi a principe illata vel se male a principe tractatum fuisse queri, vel ideo potestatem vindicandi injuriam sibi arrogare potest, quoniam omnia, que princeps, qua talis, & quamdiu talis est, facit, a toto populo, utpote quem representat, facta censentur. Et prudentis est levis injuriae patientia defungi, adeoque de jure suo potius aliquid remittere, quam illico causam arripere summam potestatem pedibus calcandi. Nam etiam rex homo natus est, ideoque nihil humani ab eo alienum.

§. 6. Hinc patet hocce pactum non statim comitari ista Hobbesii incommoda; nam princeps violati pacti argui nequit, nisi in delatione imperii expresse talis fuerit adjecta clausula, ut regno caderet, si fidem falleret; imo tali lege commissionaria in delatione imperii adjecta definit tale imperium esse suarum, ut recte contra Grot. de Jure B. & P. l. 1. c. 3. §. 16. n. 4. statuunt in suis commentariis ad All. locum Ulric. Obrechtus & Boecler. ut & iam laudatus Celeberrimus Vitriarius Instit. Juris N. & G. l. 1. c. 3. Quæst. 46.

Quia se subjecit iudicio populi vel statuum regni & quo in tali casu potest puniri & poena infligitur, ut diximus, a superiori propter transgressionem legis, quam præscripsit Vitriarius Instit. Juris N. & G. l. 2. c. 2. Quæst. 7. G. vander Meulen & Obrecht ad Gr. de Jure B. & P. l. 2. c. 2. §. 3. qui & hic dissentit, contra quem etiam disputat Puff. de jure N. & G. l. 8. c. 3. §. 7.

§. 7. Potest tamen verus rex aliquando etiam violati pacti argui & idcirco ut maiestate indignus repelliri; ut (1.) si rex regnum pro derelicto habeat dum plane omnem reipublicæ curam abdicat & sciens volensque ipsam perire aut in sumtuosa discri-

men

mem adduci patitur, nec in ejus salutem quicquam memoratum dignum movet. Grot. de jure B. & P. I. 1. c. 4. §. 9. Vitriar. Inst. juris N. & G. I. 1. c. 4. Quæst. 11.

Quando vero rex præsumendum est regnum pro derelicto habere egregie docet G. van der Meulen: ad allegatum Grotii locum.

§. 8. Et (2.) si vere hostili animo princeps fertur in totius populi exitium, quoniam simul consistere non possunt voluntas imperandi & voluntas perdendi, Grot. de jure B. & P. I. 1. C. 4. §. 11. Vitriar. I. 1. C. 4. Quæst. 14. nam summa potestas sacro-sancta est, propter salutem civium eorumque securitatem, qua neglecta a principe ipse turus esse nequit adversus coercitionem civium, quia illa sanctitas circumscripta est limitibus communis salutis & securitatis tuendæ, nam, ut recte ait Modestinus Iustus in I. 25. ff. de ll. nulla juris ratio, aut equitatis benignitas patitur, ut, quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos du riore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad se curitatem.

§. 9. Et (3.) si manifeste a regulis gubernandi, abs quarum obseruantia, tanquam a conditione, sine qua non, cives obsequium suum suspenderint, dolo malo discesserint; dum nec eo, quo decet ordine, & modo imperat, sed omni honestatis, virtutis, juris ratione, imprimis patrii, insuper habita, in tractanda republica solam animi libidinem pro lege habet. Vitriarius Inst. Juris N. & G. I. 1. C. 4. Quæst. 23.

Talis enim rex frustra subjectionem & obedientiam exigit a civibus, vi summi in se translati imperii & pacti interpositi, quippe non adimpta conditione a sua parte corruet etiam a parte subditorum obligatio, semet ipsum exuendo qualitate, cuius intuitu ipsi obedientiam praestare populus adstrictus erat, & talis privatum potius quam publicum exercet imperium, quia destituitur consensu civium a quo omne imperium publicum & summum derivandum G. vander Meulen ad Grot. de jure B. & P. I. 1. C. 3. §. 8. N. 1.

§. 10. Sed hic sese iterum nobis non levis offert difficultas, cuinam competit jus judicandi, an is, qui antea verus rex fuit, jam fuerit hostis; nec enim simpliciter judicio populi hoc com mit-

mittendum; cum populus saepe rerum praesentium tædio ad ini-
quam de rege sententiam facile possit dilabi; nec optimi reges
vulgi odium semper evitare posseunt, ut de variis hoc regibus
testantur historiarum monumenta nec regi extraneo hoc judi-
cium est committendum (licet aliquando de facto regina An-
glie dixerit sententiam adversus reginam Scotiz) nec ille jure
illud suscipere potest, cum par in parem sibi non possit arroga-
re judicandi facultatem; nec rex extraneus facile tale judicium
est suscepturus, ne ob tale exemplum postea iterum alius aures
præbeat accusationibus suorum contra se subditorum, quis enim
aspernabitur idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit vel dici effe-
cit inquit JCtus in l. 1. ff. *quod quisque juris in alter.*

§. 11. Omnino nobis hic notandum videtur, non omnem im-
perio abutentem esse statim tyrannum, (pro ut ea vox nunc in-
telligitur & injustitiam involvit Grot. de jure B. & P. l. 1. C. 3.
§. 8. N. 14.) nam nosce saepe tales sunt, ut non hostem sed pe-
fime imperantem ostendant, & secundo, si rex pluribus popu-
lis imperet, potest fieri, ut in unum hostilem animum gerat,
cumque velit perdere, ut colonias ibi faciat, non tamen odio
tyrannico sed ex causa poenali Boecler. in Grot. de jure B. &
P. l. 1. C. 4. §. 11. sed is demum est tyrannus, qui luculentis
& luce clarioribus iteratis saepissime factis testetur se totius po-
puli hostem esse, & tam aperte, ut nulla amplius de ejus pes-
sima intentione possit superesse dubitatio.

Nam illud male imperare non stricte sed latissime extendendum
esse diximus, ne videamur licentiam dare hominibus novarum
rerum cupidis saepius innovandi imperii, & violationi summæ
majestatis, qua sancta esse debet, causam præbere: G. vander
Meulen ad Grot. de Jure B. & P. l. 1. C. 3. §. 8. N. 2. *in fine.*

§. 12. Talis vero princeps, ut modo descripsimus, ipso jure
excidit principatu, quia destituitur consensu, nec propria au-
toritate sibi quisquam in alium potest arrogare imperium; &
omnes talis principis actus sunt ipso jure nulli, cum proficiantur
ex defectu facultatis. qualis tunc princeps non alter consi-
derari potest quam singulare reipublicæ membrum, summo im-
perio subjectum, quod, quia talis indignum se reddidit ad trans-
ferentem revertitur ipso jure, & consequenter civitas in eum

C

tan-

18. DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

capitum communis salutis hostem. animadversore posse videtur eadem posse, quia ipsi noverat, cum ad hunc vere praesens est, Romaeque proprie decipiuntur. Aliquam et civibus in republi- carum.

§: 13. Satis iam ostendimus nosque sequentem praeceptum Hobbesis incommoda populi statim, negligere: iuste. uterius rebus ostendendum erit, quam egregie le ipsius fallax Hobbes, non possum tal- lendo hocce pacatum imperium, intercipit, acque in omnibus imperantibus potestatur, facere studes de cetero omni vice, ne potius vitiis defraudeat; quia cognoscere, ac translatio minus. quodammodo in sola non resistenter consistere statim non ad obedi- dum sed tantum ad nos resistendum obligat. vide de cive Cap- 2, §. 4.

Quin ipsuper & ipse negat ius servos ipsum tuandi & resi- stendi contra proprium intentum, vulnera, corporisq[ue]m pacto aliquem abdicare possit, quoniam, inquit, eorum fugiendorum causa, ius in omnia naturale depositum est confer ipsum in le- viach. C. 14. §. C. 21. §. de cive C. 2. §. 18. & C. 5. §. 5. quod tam ius in omnia naturale illi primum erit probandum.

Quin & hoc modo plane tollit omne ius gladii summa impo- ranti ad animadversandum in homines facinorosos, quod tam ipse ad securitatem singulorum atque ad pacem communem no- cessarium esse statuit, qd. cive C. 5. §. 6.

§: 14. Imo & illud pactum quod expressissimis verbis dicitur cruci- re, taceat necessarium esse copulatum, dum inquit: transfer- entem (ijs suorum, sc.) qui signo vel signis identitatem illi aliorum, id iure valent, ab ea recipere, deflagrare. &c. de cive C. 3. §. 4. nam illa renunciatio a parte subditi & illa acceptatio a parte futuri impen- trari quid aliud est quam pactum?

Et si tota obligatio inter regem & subditos esset ex isto pacto singulorum, cum singulis (cuius formularia sic proponit: ego ius meum transfero in te, ut tu tuum transferas in cunctum) & iuris donatione, ut statim de cive, Cap. 6. §. 11. in fine, cum iure sumptus imperii defensionem & curam sui postulatur regis. In resistencia & ut indebitam denegare possit.

F I N I S.

CO-

COROLLARIA.

ANNO MDCCLXVII. TIT. XI.

Proba viderur teclo regis 18. C. de transact.

I I.

L. 6. ff. de transact. quid juris fit definitre puto.

I I I.

*Qui bona fide justum habens titulum in alterius
solo edificavit extra possessionem constitutus nul-
lam habet actionem in jure civili, qua impen-
sa recuperat.*

I V.

Fratrum filii soli existentes succedant in capite.

F I N I S.

C 2

N O:

NOBILISSIMO PRÆSTANTISSIMO-
QUE JUVENI

D. CHRISTOPHORO NESSINK,

Cum J. U. D. pronuntiaretur.

Mens obruta diu tenebrarum nube nigrante
Ignea, jamque foras (pulso velamine denso)
Prodiit, ingenii comitataque lumine multo
Prægandes simul effecit prorumpere dotes.
Hinc meritò exaltat cultissima Gens Saliorum,
Teque minus bilari quam leto affabitur ore:
O decus! O fame multò pars maxima nostræ!
Tu qui percalles Sacratum infistere limen
Iustitia, ingentesque oras evolvere legum,
Et qua Romani capiunt volumina juris
Avidus exauris pariter dulcissima queque
Hybleas imitatas apes, que sedulo grata
Semina depascent florum ex penetralibus imis.
Affi majora geris pulcro sub pectore, quām spes
Formabat, dum Mortales Socias, Cœtusque
Nexibus & vinculis Pagos, licet Oppida, Regna
Subjectosque ligas pariter, patisque Supremos
Hicce Patres tradis primos, qui sceptra requirunt
Illuc, (res magna est!) Majestatem venerandam
Perge audax, sicque auspicum, (qui tendis ad alta)
Fortunet Regina Themis, que limina Divum
Servat, & eternum Solio Iovis assidet alti,
Illa tuum nomen quæ super ardua toller
Sidera, & eximiis virtutum dotibus autum
Lumina summa inter Patriæ numerabit avita.

Hoc amicitie monumentum
donavit dedicauit

L. F. O. H. R.

E E R E K R A N S

Gevlogen om het HOOFD

Van den Geleerden HEER

CHRISTOPHORUS NESSINK,

*Wanneer sijn ED. tot Meeester der Beide Regten
wierd ingebuldigt.*

Den 10 van Grasmaand 1716.

CHRISTOPHORUS die geeft van sijn Geleerdheid blijken
Hoewel hy sulx volvoert in sijne Lente Tijd
Roem dan O BURGERSTAAT, sijn Geeft niet te gelijken
a prijs den Ernst van HEM, die steeds met alle vlijd
sijn werk maakt om an uw de midd'len te vertoonen
tot Grondvest van een STAAT en sijne Heerschappy.
Om soo Gerustelijc , in Vreed te saam te woonen
prijs waardigh en tot Lof, van hunne Maatschappy
hoe sal men dan op 't best, dees Heer sijn Roem uitgalmen
om te voldoen aan sijn, meer als gemeene Lof?
Is op mijnen CLIO dan, en vlegt voor hem die Palmen
verdiend door soo veel Vlijd. Gy dan verschafft my stof
soo Ooit ook nu, mijn hert in Zeegens uit te breide

Nadien het God behaagt, uw tot dees Weerdigheid
En Eeren trap, de ROK te roepen. Sijn Geleide
Sy hier op Aard met Uw, tot dat Gy naa dees Tijd
Sijn aangesigt sult sien, en uw in hem vermaakep
Wa Weggerukt sijn, in Gods Zaalige Genot
Nadien uw Lijf en Ziel, in sijne Liefd fal blaaken
Kort om hy sy uw Goed, uw Schat, ja Eenigh Lot.

RUDOLPHUS WOUDMAN,
SS. Theologia Studiosus.

A A N D E N H E E R CHRISTOPHORUS NESSINK,

Wanneer sijn E: na gedane Redentwisting over de
eerste intelling van den Burgerstaat tot Mt.
der beide Regten verklaard wierd.

Was nu mijn Dichtens lust in volle gloed ontstoken,
En kwam mijne logge bloed door heilig vijer aan 't koken,
Ik had nu waarde stof, om met een bel geschat
Te volgen op het spoer van 'togen Suster-tat.
Terwijl Gy, waards Heer, in 't bloeden van uw jaaren.
Reeds blijken geest, dat Gy in 't heilig Regt ervaren
En wel geoeffent zijt; wanneer g'ln 't Leidsch Altheen
Verhandelt „Hoe men best den welvaart van 't gemeen
„Besorgen kan! Dus gaat g'ln 't brcede aan ons betoogen,
„Hoe een Gemeene-best na 't uiterste vermoogen,
„En volgens Billijkheid, te stigton: Hoe een Land
„Den tijl verduurten kan door vaste Eendragts band,
„Wanneer 't gegronvest is en steunt op Reedens Wetten,
„Om door 't onschenv're Regt een yder perk te seich;
„Waar van dat olie Staat, on bledeschappy, of Rijk
„(Hoe woon het ook mag sijn) ottis geeft een wijsse blykt.
Soo toont Gy uw vernuft, en welgeslepen Oordeel,
Van 't Algemeene Nut, en Burgaryen Varddeel
Soo sluktert in uw borst: een syvden blakend ryck
Van hoogverheven geest, waarsens gy den Laurier

(Van

(Van Themis u belooft) geset siet op uw haaren,
Terwyl dat in 't verschiet verscheide handgebaaren
En vreugdeteekens sig vertoonen, daar w' ons met
Byvoegende, verheugd toegalmen deesē beē.
Geluk, veel waarde Vrind, moet u op aard bejeeg'nen,
Soo lang gy adem schept! De Hemel wil u zeeg'nen!
Stap voort op 't selfde spoor van vlytigheid en deugd,
Met onverschrokken moed, op dat gy lang tot vreugd
Van d'utwe fijt! Hier in sy meeft uw sorg geleegen,
Om met gelijke schaal 't onzijdig regt te weegen,
d'Onnoof'len tot een steun, den schuldigen tot straf,
In weerwil van de Nijd, met al baar belseb gebaf!
Dan sal uw groote Naam de wereld oversweeven,
Self lang na dat gy fijt ten wolken ingestreeven.

Traj. ad Rb.

a. d. 27 Mart.

clo l^o ccxvi.

Dit wenscht aan sijn Vrind
C. H. van HEYMENBERGH.
S. Th. St.

